



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 50. De Sexto Verbo in cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO L.  
DE SEXTO CHRISTI  
verbo in Cruce.

Ioan. 19. 30.



VM ergo accepisset Iesus acetum, dixit: **CONSUMMATVM EST.**

**HOC** sextum est verbum, quod Christus in cruce, postquam aliquid aceti delibasset, locutus est: ut intelligeretur, finem & causam cur dixisset, sitio, & gustasset illum potum, fuisse ut suis laboribus finem imponeret: ideoq; dixit, **CONSUMMATVM EST.** Verbum breue & perfectum; compendiosum & plenissimum! quis plene assequeretur mysteria, qua in te claudis! integraq; declararet, quod insinuas! Ad tria Christus Dominus noster respexit, quando verbum hoc protulit, eaq; magna attentione digna, de quibus propterea tria subiiciemus puncta.

PVNCTVM I.

**P** R I M V M, coniecit oculos in labores omnes, & tormenta, quæ Pater eius æternus voluit ipsum pati, ab instanti Incarnationis, vsq; ad vltimum hoc momētum; quod & passionis, & vitæ eius erat terminus, renoucauit itaq; in memoriã labores omnes suos, in Natiuitate, & Circumcisione; in exilio &

fuga

fuga sua in Aegyptum; & quos in sua prædicatione per Iudæam & Galilæam perpeffus erat; ac deniq; oēs illos, quos in ipsa Passione pertulit; vidēsq; se oēs integrè pertulisse, nullo excepto, magna consolatione fuit affectus; quod tādē ad finē omnium laborum, iuxta beneplacitum omnino æterni Patris, esset peruentum. Quare affectu quodā recognitionis & gratitudinis, dixit: **CONSUMMATUM EST**: pertuli quidquid Pater meus ferendum iusserat, & fas est credere, repetiisse ipsum mente illā orationē, quā habuit antea in Cænaculo, cum gratias Patri agens, dixit; *a ego te clarificavi super terram, opus cōsummatum, quod dedisti mihi, vt faciam.* Gratias tibi ago, dulcissime Pater, quod me ad hāc horā à me ad eō concupitā perduxeris: ego te in terra clarificavi, opusq; perfeci, quod mihi cōmisi; illud tibi offero, in redemptionē mūdi, etiam vt omnes per me clarificentur. O Redemptor mi, qui dixisti, *b Baptisma habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Cesse, iam tua afflictio, siquidem Baptismus est iam perfectus. *c Quod si spes qua differatur, affligebat animam tuam,* est tamen lignum vitæ desiderium veniens; vt ingenti nunc gaudio exultes, tanti desiderij completionē: Sit quoque mihi **DEVS** meus, tuum hoc desiderium lignum vitæ; vt fructum, quem in crucis ligno produxisti, percipiam. Hinc cōiiciam, quā ero letus in hora mortis meæ, si quidquid **DEVS** mihi iussit, im-

a Ioan. 17. 4.

b Luc. 12. 50

c Prou. 13. 12

ple-

pleuero; totâ vitâ meâ in eius obsequio ex-  
pensâ.

PVNCTVM II.

**A**SPEXIT deinde Christus Dominus  
noster, omnes fines aduentus sui in  
mundum, & officia sua omnia, quæ  
pater ipsi commiserat vt faceret, memoriâ  
repetens, quòd venisset in mundum, vt pro  
Adami peccato satisfaceret; vt serpentis in-  
fernalis caput contereret; mortem destru-  
eret, & Infernum; Cœli portas reseraret;  
doceret tanquam Magister doctrinam per-  
fectionis; heroicum virtutum omnium præ-  
beret exemplum; consilia Euangelica pro-  
poneret, ac dirigeret; institueret Sacramen-  
ta, & Sacrificia nouæ legis propria: cum er-  
go videret quòd in se erat, omnia se necessa-  
ria, ad hos fines consequendos, præstitisse,  
omnesque officiorum suorum numeros inte-  
grè expleuisse, corde suo vehementer exul-  
tans, dixit: **CONSUMMATVM EST**, & ex-  
pletum, quidquid meo in mundum aduentu  
quæsiui: a nam *consummationem & abbrevia-  
tionem, quam Dominus Deus exercituum faciu-  
rus erat in medio omnis terra, ego perfecivi  
consummatio abbreviata, inundet iustitiam &  
sanctitatem in mundo; & sic consummabitur  
indignatio & furor meus, quem super eius scelus  
habebam. Expletæ sunt etiam hebdomades  
Danielis, in quibus b censumanda erat præ-  
uaricatio, & finem accepturum peccatum, &  
delenda iniquitas, & adducenda iustitia semp-*

a *Isai. 10. 22*  
23.

b *Dan. 9. 24*

ternas;

terna, & omnis visio & prophetia adimplenda. Et deniq; præstiti, quod in me fuit, quidquid erat necessarium, vt omnes mei electi sint, c consummati in vnum, perfecti scilicet in v-  
 nitione charitatis, sicut ego & Pater sumus. Gratias tibi, Saluator mundi perfectissime, quod aded exactè partes tuas expleueris, in absoluendo opere nostræ Redemptionis: Oro supplex, Domine: vt & in me perficias opus quod incoepisti, consumens in me omne peccatum; tribuens mihi plenam & cõsummatam iustitiam; vt cum ad vitæ meæ finem peruenero, inueniar in oculis tuis, in omni virtute perfectus & consummatus.

c Ioan. 17.  
23.

## PUNCTVM III.

CONIECIT tertio Christus Dominus nos oculos suos, in oēs illas umbras & figuras aduentus sui, quæ à mundi exordio, vsq; ad hoc tempus præcesserant; præcipue verò in sacrificia & cæremonias veteris legis, & in ea, quæ Prophetæ prædixerant, & quæ referebant, & adumbrabant quidquid ipse facturus & perpeffurus erat in mundo; vidensq; hæc omnia expleta esse, dixit: CONSUMMATVM EST quidquid umbra erat & figura; finita sunt sacrificia & cæremoniæ antiquæ; iam cessauit lex circûcisionis, cû grauissimis & intolerandis oneribus, quæ illa hominibus imponebat; cõpleta est iam lex, a quam ego non veni soluere, sed adimplere; sicut

a Matt. 5. 18

& quid-

& quidquid Propheta prædixerunt: & donec transeat calum & terra, iota unum aut unius apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, quæ in illa sunt scripta. Ita verè, Domine, fecisti, sicut dixisti futurum; quia verbum tuum magis est perpetuum, quàm sit cælum; magisq; firmum, quàm terra. Quamobrem cupio omnes cæli & terræ habitatores, laudare te & glorificare, ob tantum opus in ista cruce perfectum, Amen.

ULTIMO perpendam, eundem hunc Dominum, qui nunc in throno isto crucis, opprobriis saturatus, & plenus doloribus, iam expiraturus pendet, venturum in die Iudicij in Throno gloriæ, ad iudicandum: qui, separatis bonis à malis, & sententiâ in vtroque, iuxta illorum opera latâ hoc ipsum verbum: *consummatum est*, repetet; quasi dicens, iam mundus est finitus, & vana eius gloria; iam merendi ac demerendi tempus expiravit; iam iniquorum voluptates, & piorum labores finem acceperunt; dissolutum est iam Dæmonis regnum, nec amplius poterit tentare aut decipere homines; completus est iam numerus Electorum ad Cælum, eorumque mensura peruenit ad culmen & perfectionem. Hoc ipsum, proportionem servata, mihi dicet; in hora mortis, cum me iudicabit; mihi siquidem omnia hæc in illa hora finiuntur.

HAC consideratione me ipsum excitabo, ad vitam meam ita instituendam, vt cum A-  
postolo

postolo dicere possim, *b cursum consumma-* *b 2. Timot.*  
*ui, fidem seruavi & fidelitatem, quam Deo de-* *4 7.*  
 bui. O Iudex hominum supreme, cuius iu-  
 stitia ita erit exacta & consummata, sicut fu-  
 it misericordia; adimple nunc in me tuam  
 misericordiam; vt gratia & meritis nunc  
 replens, postea etiam impleas iustitiam,  
 reddendo mihi eorum coronam in gloria.  
 Amen.

MEDITATIO LI.  
 DE SEPTIMO CHRIS-  
 TI verbo, & eius  
 morte.

PVNCTVM I.



LAMANS a voce magna IESVS, ait: *Pater in manus tuas* *a Luc. 23. 46*  
*commendo spiritum meum.*

CIRCA vltimum hoc ver- *I.*  
 bum exquirendæ sunt causæ,  
 cur clamore magno illud protulerit: fuit au-  
 tem prima causa, vt omnes intelligerent, i-  
 ipsum & fortitudinem, & vires habere ad vi-  
 tam producendam, & mortem auertendam,  
 si voluisset; ideoque quod moreretur, id fie-  
 ri, quia ipse volebat mori, iuxta illud, quod  
 alias ipse dixerat: *b Nemo tollit animam* *b Ioan. 10. 18*  
*meam à me; sed ego pono eam à me ipso,*

*& pa.*